



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Art. 5. Non possedisse Archiepiscopum ius in Abbatiam, etiamsi Abbas  
subinde ad eius Conuentus venisset.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

rio, & nominatim Nonus testis & Decimus quartus dicunt illa ab Archiepiscopo ut Cæsar's Commissario recipi.

Ad quintum testantur Abbatem Matriculæ & Registris Imperij inscriptum, idque se vidisse assert tertius testis, cui consentit decimus quartus.

Ad septimum denique, aperte omnes testantur Abbatem separatam habere Iurisdictionem, Tribunal, Officiales, & ab Archidiœcesi distinctos, de crimini bus capitibus per suos Ministros cognoscere, & similia.

Quid ad hæc omnia, alia que, quæ in processu videre est, dices voti scriptor? Nonne ipsi testes Archiepiscopales certissimis indicijs & testimonij probârunt Monasterium esse & fuisse in possessione libertatis suæ & immediationis sub Imperatore & Imperio.

Et quare bone assessor & iudex iuste (talis eras) hæc omnia alia que clarissima Iuris Maximiani fundamenta & probationes ita tacuisti, dissimulasti, non tetigisti? saltem, cum paucula quæ pro Archiepiscopo videbantur facere, tam prolixè & operose deduxisti, extendisti, amplificasti?

Ad hæc ostende, age, in tuorum testium vniuersâ depositione vel mentionem ullam aut probationem Iudicationis ab Archiepiscopo in Maximianos, viiiusve Iurisdictionis, actu aliquo exercitæ, sive in casibus Iustitiae, sive in casibus politiæ, item ostende actus Releuij alicuius, hommagij, feudalis que iuramenti, Archiepiscopo ipsius proprio nomine præstiti?

In horum igitur omnium libertate & possessione Maximiani perstiterunt; in quibus tamen essentialis Dominij Iurisdictionalis sive territorialis notæ consistunt.

Nunc ad facta, in voto adeo celebrata, respondendum est.

*Artic. 5. Non possedisse Archiepiscopum ius in Abbatiam,  
etiam si Abbas subinde ad eius Conuentus  
venisset.*

**D**Epont testes, inquit votum, Abbatem ad Conuentus Treuirenses obedienter comparuisse.

Si addictos Conuentus aliquando venerit Abbas, certè liberè eum venisse ex ipsis Archiepiscopi testibus apparer, nam eum sæpe absuisse ab illis testantur primus, octauus, & decimus tertius; Undecimus verò, unus statuum præcipius, testatur de se hoc articulo nihil certi posse dicere. Et quartus ad sextum Archiepiscopi articulum deponit se obseruâsse, quod suo tempore quaternis ordine vicibus, etiam si vocatus esset, non comparuerit.

Sed quid tandem si subinde ad Conuentus Provinciales Treuirenses venerit, ex hoc inferre potes? An ob talem actum, eum desisse esse statum & membrum Imperij? an ideo mox factum Archiepiscopi subditum? an per hoc supremo illi iuri & immediato, quod in illum habet Cæsar & Imperium, se subtraxisse?

Atqui euocatur etiam & ab omni sæculorum memoria euocatus fuit ad Comitia Ducatus Luxemburgensis, ibidemque comparuit, & quidem tanquam primus Ecclesiastici ordinis Prælatus; an ideo desistit esse Prælatus Imperij? an Duci Luxemburgensi idcirco subiectus fuit? an illi collectas, quas alioquin Imperio (nisi esset immunis) soluere deberet, pendere idcirco tene-

tur? Nihil minus. Possunt sanè in Conuentibus, aut Congregationibus, præfertim statuum Vicinorum diuersis casibus interessere, alij ex alijs ordinibus statibusque, vel honoris, vel amicitiae, vel vicinitatis causa, vel quia quidam ex subditis comparentium bona sub altero statu sita possidere possunt, vel conservandorum limitum gratia, vel proponendi quæ se concernunt, vel videndi aut prospiciendi, ne quid in sui præiudicium fiat, vel alijs ex causis sicut passim eernere est in diuersis Comitijs.

Deinde ut contigit aliquos ex posterioribus Abbatibus in se receperisse officia Consiliariorum Archiepiscopi; ita & similia quædam munera recipere potuerunt olim alii, ob quæ comparuerint.

*Artic. 6. Quòd vulgo Abbas habitus sit pro Prælato Treuirensi, leuis esse momenti argumentum.*

**T**estes nonnulli aiunt Abbatem vulgo habitum pro Prælato Treuirensi. Egregiam enim uero probationem subiectio[n]is territorialis? Et quis risum teneat? Aliqui de plebecula, eò quod Monasterium S. Maximini prope muros Treuirenses situm videant, illum vocant Prælatum Treuirens[em]: At Imperatores & Reges disertè in Diplomatis, sententijs, & rebus iudicatis vocant, Statuunt, decidunt, ac decernunt Abbatem Sancti Maximini esse Prælatum Imperii, ipsimet Archiepiscopi talem in Inuestituris aliisque actibus agnoscunt & fatentur. Illorum authoritas pro nihilo habebitur, plenam probationem & fidem faciet aliquorum de plebe nominatio, qui cæci, insci, ignari sua ipsa propria ignorantia, multò magis aliena, ac quidem tantæ indaginis negotia.

Sed cur rumoribus & vulgi opinionibus nitamur, cum habeamus illos ipsos testes ab Archiepiscopo productos, disertè declarantes & deponentes, quod Abbas S. Maximini sit Prælatus Imperii, ut paulò ante retulimus.

*Articul. 7. Ob Collectarum prætensam solutionem nihil Archiepiscopum Iuris possidere.*

**C**ollectas Abbatii in Conuentibus Provincialibus Treuirensibus impositas testes affirmant, vnde voti auctor infert ius collectandi, & consequenter Territoriale Dominium Archiepiscopo per possessionem & præscriptionem acquisitum.

Verum plerique testes, qui Abbatii impositas fuisse collectas referunt, negant illas ab eodem fuisse solutas; alii de solutione se nihil scire fatentur; alii aperte testantur Abbatem impositas collectas recusasse, & soluere noluisse, quod solum, ipso volo teste, sufficiebat, ut Abbas libertatem à Collectis sibi confirmaret, si ea vñquam dubia fuisset, ita enim votum N. 258.

Sed & aliunde satis constat, nihil ab Abbatie fuisse solutum, quia Registra actiones Archiepiscopi nihil tale continebant, neque in processu Spirense producta aut exhibita fuerunt.

Quis